

† NECROLOGIA †

† R. P. Iosephus De Caro (1888-1948)

(Prov. Sic.)



Confratri, cuius vitam breviter narraturi sumus, contigit illud insigne providentissimi Dei beneficium, ut nasceretur in sinu familiae vere christiana et in loco, cuius aer avita fide et bonis moribus incolarum quasi saturatus est. Locus natalis Patris de Caro est Canicatti, populosum centrum (incol. 28.000) provinciae ac dioecesis Agrigentinae, ubi avunculus eius, Aloisius La Lumia, erat archipresbyter. Eius parentes Dominicus De Caro et Gerlanda La Lumia ex suis sex filiis quinque totos Dei servitio consecrarunt, et duos quidem, Iosephum et Salvatorem, in Instituto Alfonsiano. Salvator cecidit

a. 1917 victima belli, annos natus 23, et quando Iosephus mortem obiit sexagenarius, praeter unam sororem omnes tres fratres et altera soror eum in morte iam praecesserant.

Iosephus noster aetate novem annorum, fer. V in Coena Domini a. 1897, cum pietate singulari primum ad sacram mensam accessit, et ex eo die SS. Eucharistia eius deliciae erant. Inde etiam hausit vires necessarias, cum a. 1901, ergo aetate 13 annorum, amatissimam familiam et patriam, i. e. Siciliam insulam, reliquit per multos annos et in longinquam

Latii terram profectus est, ut in nostro iuvenatu Scifellano studiis gymnasialibus vacaret et genuinum Redemptoristae spiritum imbibere inciperet. Vel ardentius eundem hausit in tirocinio, quod Romae in ipsa domo generalitia peregit. Exstat adhuc libellus, in quo novitus sua proposita notavit, unde hoc specimen excerpere liceat:

Dominica 10 Martii 1907: Hodie cum Patris Magistri venia feci actum heroicum ad iuvandas miseras animas Purgatorii. Ab eis vicissim exspecto 1) amorem ferventem erga Iesum et Mariam, 2) summo gradu fidem, spem et caritatem, 3) solidum fundamentum omnium virtutum, 4) magnam aestimationem vocationis meae, 5) puritatem angelicam et oblivionem rerum terrestrium, 6) studium summum perfectionis magnumque eius desiderium, 7) perseverantiam in Congregatione usque ad mortem, 8) conversionem plurimorum peccatorum, 9) liberationem, Deo volente, a servitio militari, 10) ut pro me orent, quoad non me viderint gaudii aeterni participem.

Si talia sunt intima desideria adolescentis 19 annorum, profecto praeclara de eo sperare licet. Hanc autem spem Iosephus De Caro nunquam in posteriore vita fefellit, neque in septennio studiorum superiorum Cortonae transacto, neque in servitio militari tempore belli, neque qua missionarius in patria, neque regens communitates Agrigenti vel Panormi vel Romettae, neque per sexennium integrum Vice-Provinciam Siculam gubernans. Expertus emolumenta disciplinae militaris, regulari nostrae disciplinae haud minus studium et ipse dicabat et a subditis dicari solebat. Sed qui Regulae nostrae praescripta, minuta quoque, tanto zelo inculcabat, possidebat eodem tempore virtutem magnificentiae, quae etiam magnis sumptibus, iuxta rectae rationis dictamen, magna opera molitur. Id testantur novum pavimentum nostrae ecclesiae Agrigentinae eiusque nova turris cum tribus novis campanis.

Sed opus eius maximum est reconstructio, si ita loqui fas est, parvae Provinciae Siculae, vi cuius inter confratres Siculos eius memoria vivet per saecula. In ultimo Capitulo fuit Vocalis eiusdem Provinciae. Est igitur — post Patrem Rouff — secundus Capitularis qui mortalem hanc vitam cum immortalitate commutavit. Vivet etiam P. De Caro tanquam exemplar genuini missionarii Redemptoristae, et sistema missionale S. P. N. Alfonsi in eo habebat defensorem sancte intransigentem.

Ineunte hoc anno P. Provincialis Salvator Giammusso eum e sua residentia Messanensi Panormum vocaverat, ut missionem paroeciae « la Zisa » parteciparet; sed altero missionis die nimis alta pressio sanguinis, qua iam diu laborabat, eum coegerit ad domum Uditore se recipere. Medici adiutorium, statim adscitum, in hoc casu impotens fuit. Malum ingravescebat, et a d. 9 Martii ad d. 13 Aprilis iterumque inde a d. 25 Iunii infirmus confrater etiam Missae celebrationi renuntiare debuit. Postridie, 26 Iunii, insigni pietate recepit morientium sacramenta, nec omisit a confratribus veniam suorum defectuum humiliter petere. Se beatum dixit,

quod mori posset in suo lecto paupere, a dilectis confratribus circumdatus. Multoties repetebat: « *Vocazione, vocazione!* » ad indicandum, in quam sublimi luce sibi morienti appareret gratia vocationis. Die 27 valedixit unicae sorori superstiti et defuncti fratris filii, qui venerant eum salutatum. Dies 28 erat dies ultimus. Haud semel interrogabat: « Quota hora est? » et tum suspirabat: « Quam longae, mi Deus, sunt istae horae! » Cupiebat quippe dissolvi et esse cum Christo nec mortem timebat. Tandem h. 19,15 placide spiritum suum meritis onustum reddidit Creatori et Redemptori suo inter preces lacrimasque confratrum, qui admirabili caritate ei usque ad ultimum momentum adstiterant.

Priusquam corpus mortuum ultimo mensis die sepulturae traderetur in sepulcreto nostro novo a P. Visitatore Iosepho De Caro d. 7 Oct. 1940 benedicto, hodiernus Superior Provinciae inter profundam tot praesentium commotionem elogium funebre legit. Interim in morte huius insignis Instituti sodalis certe impleta sunt verba, quae ipse olim, ex nostro Romano sepulcro mutuata, in eodem Panormitanô sepulcro posuerat:

Initium verae vitae¹
